Suppl/P

61247/P

CHARROLLOIS, C.

QUÆSTIO PHYSIOLOGICA,

An ſolidæ humani Corporis partes ſolâ Vaſorum extenſione nutriantur & creſcant?

PROPOSITA AB ILLUSTRISSIMO VIRO D.D.

ANTONIO DEIDIER

Regis Conſiliario & Medico, nec-non in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Chymiæ Profeſſore Regio digniſſimo.

Quam Deo favente & auſpice Deiparâ, propugnabit in Auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis Fano. Die menſis Junii, anno 1711. ab horâ octavâ ad meridianam, CLAUDIUS CHARROLLOIS Cabilonenſis ad Ararim, Artium liberalium Magiſter, & jam dudum Medicinæ Studioſus.

Pro primâ Appollinari Laureâ conſequendâ.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis & Univerſitatis Typographum. 1711.

318332

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

QUÆSTIO PHYSIOLOGICA

AN

SOLIDÆ HUMANI CORPORIS *partes ſolâ Vaſorum extenſione nutriantur & creſcant?*

HIC Vaſorum nomine intelliguntur ductus omnes, per quos humani corporis humores feruntur. Diſtinguuntur hæc humoribus ſibi peculiaribus; hinc ſanguifera Vaſa, limphatica, nervea, lactea, ſalivaria, bilifera, pancreatica, ſpermatica, urinoſa. Cuncta inter ſe ſine confuſione copulantur per ora ſua, quibus alia humores in alia transfundunt & tranſcolant. Mira hæc animalis æconomia, per quam partes omnes corporis conſentiunt.

Dum proſperâ utimur valetudine, nulla omninò cædi nobis aut pertundi poteſt particula ex quâ humor non effluat; nulla igitur in nobis eſt quæ non conſtet Vaſis, quibus tranſvehantur humores. Hæc viſum interdum effugiunt; & mem-

branæ quædam adeò ſunt pellucidæ ut nullis Vaſis videantur interſeri. Sed albuginea oculi membrana, imò & cornea, ſua oſtendit Vaſa ſanguifera in ophtalmiâ laborantibus, & plevra in plevritide ſublatis, & peritoneum in ſuis inflamationibus; ſique attentè conſpiciatur membrana quævis oculo microſcopio armato, ea tota videbitur variorum contextus vaſculorum, ſanguiferorum, lymphaticorum, nerveorum, aliorumque. Sed quo pactò rurſus copularentur quæ ſolutæ ſunt partes? quo pacto protenderentur quæ fuerunt exciſæ ut capilli & ungues? niſi ex vaſculorum extenſione hoc fieret. Ut totum plantæ folium fibris ſuis inter ſe variè copulatis diſtinguitur, ita ſingulæ corporis humani partes totumque corpus contexitur ſuis Vaſis.

Vulgò dividuntur partes humani corporis ſolidæ in molles, ex quibus conſurgunt carnes, ut muſculi, membranæ, glandulæ & viſcera; & duras, ut ligamenta, cartilagines, oſſa. Hæ omnes nihil aliud ſunt quàm varii Vaſorum & vaſculorum contextus. Inter ſe implicantur membranarum vaſcula, ut fila quibus tela contexitur; muſculorum, ut fila fundæ, laxiùs in ventre, ſtrictiùs in extremis, quæ tendines nuncupantur.

Glandulæ ſunt vaſculorum glomi, qui filatim diſſolvuntur in murium teſtibus. Ex viſceribus alia ſunt membranacea, ut ventriculus, inteſtina, uterus; alia glanduloſa, ut cerebrum, hepar, ſplen, pancreas, renes. Tendi[illegible] [illegible]ctiùs compinguntur in ligamenta, ligament[illegible] in carti-

lagines, & cartilagines in oſſa. Nec aliter diſcrepant inter ſe varia partium ſolidarum genera, quàm ex variâ vaſculorum texturâ, aut ex contextu magis aut minùs ſtricto.

PARTES omnes ſolidæ molliſſimæ fuerunt in Ovo, ac ſimpliciter membranaceæ, diſtinctæque non aliter quàm percipiuntur in nucleo pineo cunctæ pini partes, ſed molliuſculæ. Nucleus ille Ovum eſt pini arboris, & nux pinea pini Ovarium. Si terræ mandaveris nucleum pineum, is aget radices, per has accipiet ſuccos, ſuccis firmabuntur partes pini molliores, germinabit arbor, excreſcet, adoleſcet. Idem intelligas de ovo humano, maturo, fœcundato. Id enim poſtquàm delatum eſt per Tubam ab Ovario in uterum, emiſſis ſenſim radiculis adhæreſcit utero, convehitur per radiculas lac uterinum in embryonem, eo lacte nutritur embryo, excreſcit, explicatur, firmatur, fit puer; puer deficiente aut non ſufficiente lacte uterino diſruptis ſecundinis excluditur; poſt partum craſſius exſugit mammarum lac, ſenſim deinde ſolidiore cibo utitur, adoleſcit; nec alio pacto firmantur ſenſim ac nutriuntur partes ejus ſolidæ, quàm quo fuerunt in Ovo aut in utero nutritæ ac firmatæ.

VOLEBANT Majores noſtri fieri conceptionem fœtûs ac formationem, ex utriuſque ſexûs ſemine ac ſanguine menſtruo. Proindè dividebant partes humani corporis ſolidas in ſpermaticas, quæ coaleſcerent ex ſemine, & ſanguineas utpotè ex ſanguine menſtruo concretas. Erant apud

eos albicantes omnes partes ſpermaticæ, ſanguineæ verò in quibus rubor efflorefcit. Pars quævis eâ facultate pollebat ut ad ſe traheret humorem ſibi proprium ac temperamento ſuo convenientem, quo nutriretur ac creſceret. Is humor primo partem roris inſtar inſpergebat, mox calore innato ſenſim ſubigebatur, factuſquè glutinoſior parti adhærebat, ac demum aſſimilabatur. Quæque pars peculiari ſuo gaudebat calore ac temperamento, nimirum à primâ formatione ad interitum.

Viguit hæc priſcorum ſententia, donec noſtris temporibus innotuerit & humorum in humano corpore circuitus, & Ovaria fuerint in muliere deprehenſa. Hinc patuit nihil conferre ad fætûs formationem ſanguinem menſtruum, & nullum aliud ſemen conferre mulierem ad hominis generationem præter Ovum. Unde partes humani corporis ſolidæ nec ſpermaticæ ſunt nec ſanguineæ; cunctæ albicant, ſi fuerint ſanguine vacuatæ. Non ad ſe trahunt humores partes ſolidæ, ſed tranſeuntes à ſe perpetuò pellunt. Humores, non partes ſolidæ, calore pollent; quem habent partes ſolidæ, hunc ab concitatis humoribus mutuantur. Ergo nec pars ſolida facultatem habet trahendi ad ſe humorem nutritioni ſuæ proprium, nec innatus ipſi calor inſperſum ſubigit & convertit in partem.

Arbitrati ſunt Recentiores unicum ſatis eſſe humorem ad nutriendas partes omnes ſolidas, ad eas perpetuo ſanguinis circuitu delatum. Humor ille alibilis, ajunt alii, eſt ſuccus nerveus;

lympha eſt, ajunt alii. Et voluerunt utrique ex eo ſolo fieri nutritionem, quòd per appulſum ad partem humorem tranſvecta materia ſubtilis ſimilem penitùs ſibi ſternat viam, ac ſibi ſtraverit in parte. Et hinc contendunt fieri ut appulſus humor alibilis modò faceſcat in venam, modò in arteriam, in tendinem modò, in cartilaginem, in os. His qui partes ſolidas nutriendi munus lymphæ tribuunt, argumentum eſt, quòd lympha igni expoſita concreſcat facillimè, quòdque partes omnes ſolidæ ipſius referant colorem.

Hæc Recentiorum ſententia non minùs repugnare videtur Anatomicis diſquiſitionibus, quâm Priſcorum. 1°. Quòd ſuccus nerveus de quo dubitatur, & lympha quæ certa eſt, nequit in nutriendas partes omnes inſinuari; nec enim ſolvitur quivis ille ſuccus nutritius ab aliorum humorum vinculis, niſi cùm in Vaſa propria tranſcolatur. 2°. Quòd nunquam à Vaſis ſuis excidit, niſi ut in ſanguinis flumen exoneretur, ubi rurſus cum fluentibus cæteris humoribus irretitus tranſvehitur; tanta verò eſt per totum humanum corpus anaſtomoſeon frequentia, ut credibile non ſit quidquam hujuſmodi humoris ita poſſe ab aliis ſecerni ut purus allabatur parti ſolidæ, in eamque otiosè faceſcat. 3°. Licet expediretur humor ille à cæterorum nexibus, quo pacto poſſet parti ſolidæ adglutinari ſolius materiæ cæleſtis miniſterio? Cùm fluidiſſima hæc ſit & rapidiſſima, nec poſſit quidquam corporibus per quæ traducitur, præter motum impertire. 4°. Relaberetur quis

in Priſcorum ſententiam, ſi adglutinationem eam & aſſimilationem tribueret calori partis innato, præſertim cùm intelligi nequeat humoris illius in parte mora, ſcilicet dum alii, humores curſu ita rapido tranſvehuntur ut non poſſit humor ille ab eis non rapi. Itaquè quod Recentiores extuderunt hactenùs de partium ſolidarum nutritione, rationi non conſentit, & experientiæ repugnat.

Quid ſi novum proferatur ſyſtema? nempè nutritionem non fieri ex eo quòd humores partibus ſolidis adglutinentur, ſed quòd perpetim augeſcendo ac per Vaſa incitato motu circumeundo ductus ſuos extendant, ac in omnem ſenſum amplificent. Vide quid maximè contingat in cæpis bulbiſque tum & in granis plurimis, quæ quamquam terræ non mandata germinant; quid contingat ovo gallinaceo, cùm ex ſolâ incubatione fit pullus, quid Ovo ipſi humano, quod ex ſolâ virilis auræ aſperſione explicatur in embryonem. Nonne palàm eſt primam hanc fieri memoratorum vegetationem ex ſolis humoribus intra Vaſa ſua congruo tepore concitatis? Pone ſenſim intepeſcere, fermentare ſuccos in plantarum germine, in hominis & pulli rudimento; hæc non poterunt non explicari ſenſim, non diſtendi, non protendi, non amplificari. En primam Ovi germinationem in plantâ, in pullo, in homine, abſque ullâ humorum ad partes ſolidas adglutinatione, abſque ullâ coagmentatione ſolidarum partium. Quid porrò vetat eodem pacto germen ex conceptis de novo humoribus ſenſim dehinc excreſcere atque adoleſcere?

Ex quo primùm intepuere humores in humano fœtu, & rarefacti ſuos cæperunt obire circuitus, fœtus ſolâ indiget humorum reparatione, auctu, circuitionis motu congruo; nullâ novæ partis ſolidæ procreatione, nullâ coagmentatione. Satis prorsùs ſunt partes illæ ſolidæ, quas etiam antè fœcundationem obtinuit, ut fiat puer, & uſquè ad incrementi naturalis terminum perveniat. Augeſcunt humores in fœtu, ut in nobis, ex chylo quodam liquido, quem haurit ex Ovo per umbilicum antequàm Ovum adhæreat utero; poſtquàm id adhæſit utero lac uterinum fœtus haurit, poſt partum mammarum lac, dein puer utitur cibis ſenſim ſolidioribus, & ex chylo ex eis confecto luxuriat & adoleſcit. Fit autem ex vario illo nutrimenti genere proventus humorum, non partium ſolidarum. Uterus geſtantis increſcit, craſſeſcit, ad quam molem? intumeſcunt nutricum mammæ, tumore quanto? Undè tumor hic, & moles illa, niſi ex conceptis de novo humoribus, quibus expreſſis rursùs ſubſident uterus & mammæ? Plura non ſunt in utero gravidæ, in nutricis mammis Vaſa, nec craſſiora, quàm in virginis mammis & utero; ſed non ſunt humores in utero in mammis virginis tantâ copiâ. Non aliundè flacceſcunt partes ſolidæ in ventrioſis macreſcentibus, quàm quod Vaſa ipſorum fuerint non parum humoribus exhauſta. Ita profectò videntur ſingulæ partes ſolidæ mole augeri cùm diſtenduntur humoribus, imminui verò cùm humoribus vacuantur. Ergo & hinc major aut minor totius corporis moles.

Ex tumoribus contra naturam obortis, ſive in parte molli ſive in oſſe, firmatur hæc ſententia. Unde phlegmone, eryſipelas, ædema, ſchirrus, unde exoſtoſis, niſi ex congeſtis humoribus? Nec unquam hi tumores evaneſcerent ex ſolâ reſolutione, niſi ſoli humores præter naturam collecti reſolverentur. Si nova gignerentur Vaſa in tumoribus, aut congenita per humorum adglutinationem intumeſcerent, reſecanda hæc forent ut pars ſana fieret.

Sed prout corpus accreſcit craſſiores fiunt, ais, & Vaſorum parietes, & aliæ corporis membranæ. Et hoc admittimus, nec tamen ullam admittimus membranarum quarumlibet coagmentationem quam induxerit humoris hærentis adglutinatio. Craſſeſcunt membranæ, craſſeſcunt Vaſorum parietes, firmiores fiunt, quòd ea ex quibus contexuntur vaſcula, & vaſculorum ramuſculi majorem ſenſim humorum copiam concipiant, magis ſenſim diſtendantur, magis ac magis ſeſe invicem comprimant. Hinc major ac major craſſities, firmitaſque. Ita ſanè facta eſt major ac major uteri geſtantis craſſities & firmitas, ita intumeſcunt nutricis ubera, ita colligitur ventrioſorum ſarcina; nec tria hæc detumeſcunt, quàm quòd inſigniter exhauriantur ſuis humoribus eorum Vaſa, & in vaſorum parietibus vaſcula & ramuſculi hujusmodi vaſculorum. Eodem quoque pacto accreſcit cor, aorta, venæ, arteriæ, reliqua Vaſa, ac totius corporis moles; & ab exhauſtis humoribus penitus decreſcerent, ſi poſſent

naturâ

naturâ vel arte Vaſa penitus exhauriri. Hepar, lien, pancreas reducuntur ad paucas drachmas, quia poſſunt exhauriri majora ipſorum Vaſa; non poſſunt ad minimum pondus reduci, quia exhauriri penitus non poſſunt majorum vaſorum vaſcula & vaſculorum ramuſculi. Ipſorum vaſorum contextus, tenuiorum contextus membranarum ex minoribus ac minoribus vaſculis exſurgit; hoc ante probatum eſt in ipſo germine, nec poteſt de eo dubitari.

ATTENTIONEM meretur peculiarem incrementum illud pro temporis ſpatio immodicum, quo fœtus à conceptione ad partum producitur, quodque poſt partum minori ac minori proportione continuatur. Id autem non poteſt non ita contingere, & ob inſignem vaſorum fœtûs in utero mollitiem, & ob blandum matris calorem. Tunc promptum eſt ut humores faciliùs concipiant molliora fœtûs Vaſa, ut hæc faciliùs dilatentur, protendantur, explicentur.

OSSA ſunt in fœtu molliſſima, in partu quoque ductilia nec cuncta poſt partum concreta, ut cranium, ſternum, aliaque non pauca. Fit autem ex cranii mollitudine in fœtu ut cerebrum tantam in utero conſequatur amplitudinem. Prout verò magis & magis indurantur oſſa, minùs puer ſuſcipit incrementum; cùm aeri libero expoſitus eſt, tunc magis tranſpirat, tunc aër circumfuſus pellem ejus magis ac magis exſiccat; prout is adoleſcit, cuncta ejus vaſa fiunt firmiora, nec poſſunt tandem maius incrementum ſuſcipere.

Pulmo ſolus non increſcit in fætu eâ proportione quâ cæteræ partes, quod aërem non hauriat fætus dum in utero clauditur. Is augeſcit promptiſſimè ſtatim à partu, quòd tunc hauriat puer aërem, a quo pulmo explicatur, & ſanguis per explicatum pulmonem uberiori copiâ tranſvehitur. Nec tamen dicimus nutriri pulmones ex accepto per inſpirationem aëre, quamquam verum ſit & bronchia & pulmonis veſiculas ab inſpirato aëre dilatari; nempè quòd aër non ſit humor homini proprius. Is recenſetur inter ſex res non naturales, quibus corpus neceſſariò afficitur aut ſalubriter aut inſalubriter, ſed quibus corpus noſtrum non conſtat. Et ideò vaſa corporis propriè non ſunt bronchia & veſiculæ pulmonis, cavitatum ſuarum ratione. Veſicularum verò & bronchiorum parietes ſunt vaſculorum contextus, per quæ noſtri feruntur humores; ideòque in eorum dumtaxat parietibus vera & naturalis intelligenda eſt nutritio. Quod jam diximus ratione aëris de pulmone, intelligendum de ventriculo, de inteſtinis, de veſicâ urinariâ, de felleâ, de geſtantis utero, contentorum ratione. Cavitates hujuſmodi quædam ſunt conceptacula, quæ quidem faciliùs ex contentis nutriuntur ob illabentes faciliùs in explicata ipſorum vaſa humores; ſed quæ in iis continentur non eas nutriunt ſed diſtendunt. Nutritionis officium ſolis noſtris humoribus propria vaſa replentibus deputandum eſt, non contentis alienis.

Ultimus incrementi terminus à ſtructuræ

magnitudine deſumendus, & vulgò intra ſpatium à vigeſimo anno ad vigeſimum quintum ſtatuitur. Incraſſari poſſumus ultra hoc ſpatium, idque ad quinquageſimum fermè annum aut ſexageſimum, non grandiori ſtructurâ produci. Finis incrementi ſtaturæ ab oſſibus maximè pendet, quæ ita ſenſim firmantur ut ſenſim obdureſcant. Increſcit quævis particula dum flexibilis eſt, & flexibilitatem inducit debitus & naturalis balſamicorum humorum circuitus. Poſt annum Sexageſimum vergunt ad interitum cuncta in homine; ſicciora fiunt oſſa, ſicciora vaſa, ſicciores fibræ, partes quædam indurantur in oſſa, rugæ deturpant faciem ac pellem cæteram, tota corporis moles ac ſtrutura ipſa ſenſim contrahitur.

Si quavis in ætate particulis ſuis ſulphureis deſtituantur humores, contabeſcit corpus, ut poſt febres diuturniores, in ulceribus inveteratis, in depaſcentibus, in phtiſi. Nec reſtituitur ſanus partium ſolidarum habitus, niſi reſtitutâ in iis naturali flexibilitate, medicamentorum ciborumque balſamicorum ope, inter quæ ſubſidia primas obtinet lac. Quo autem pacto traduceretur quis à tabe ad vigentem habitum, ſi corroſi fuiſſent vaſorum parietes, ut vulgò creditur? nonne ſatius eſt arbitrari, vaſa ejus fuiſſe aliquatenùs depleta, & hinc rigidiora fuiſſe facta? Hoc ſaltem palam eſt in puerperis quæ copioſè ſanguinem profuderunt, ac poſt copioſam ſalivationem, & uberiorem alvi fluxum. Tam citò non reficerentur ægri, niſi unica macritudinis cauſa fuiſſet

vaſorum depletio, concidentia, deſſicatio quædam, & hinc multò minor flexibilitas, & niſi maciei devaſtatio mox ſuccis euchymis & copiâ ſuâ diſtendentibus reſarciretur.

ELATER fibrarum, ideoque & vaſorum omnium perenni humorum tranſvectione perpetuatur. Fatiſcunt vaſa ſtatim ac deſierint humores per ea tranſvehi, aut minori copiâ quàm par eſt. Si nimiùm depleta fuerint majora vaſa, corruit viventis machina. Quare? quòd amiſſo in majorum vaſorum fibris elatere, ea non poſſunt reſiduum liquoris impellere; & cùm impulſi humores per majora vaſa impellant eos qui continentur in minoribus, deſinunt hi per vaſcula ſua, per ramuſculos ſuos convehi, hæſitant ergo, nec à minoribus vaſis deferuntur in majora, perit humorum circuitus. Vacuetur ſanguis ad decem fermè libras, imò & educatur majori copiâ humor noxius in Paracenteſi, in Empyemate, aut ab inſigni tumore, non minuetur ſenſibiliter totum viventis corpus, attamen ſuccedet ejus deliquium & mors. Cùm venas ſibi ſecabant Romani, non totus ipſis exhauriebatur ſanguis, peribant tamen. Hinc arguitur elaterem in vaſis deficere, priuſquàm poſſint humores omnes è vaſis educi. Ergo reſidui reſtagnant in vaſis ac tandem concreſcunt. Atqui nulla unquam ars potuit reſiduos poſt interitum humores è vaſis educere, niſi novos in ea liquores per ſyringem impellendo, ut ſolus novit Ruiſchius. Nunquam potuere penitus exhauriri vaſa; ergo nec corpus ad ſolarum partium ſoli-

darum pondus revocari; & patet hinc ratio, cur exſiccentur priùs partes ſolidæ & maximè quæ duriores ſunt, quàm ut poſſint ad priſtinam reduci exiguitatem.

Sed & ſi daretur omnes educi poſſe humores è ſuis vaſis, nonne ſtatim ſuccederet materia quædam aërea in vaſorum cavitates? Hoc experimur in Chymicis. Cùm ſubjicitur diſtillationi totum corpus viperæ, hæc amittit quidem ſuum omnem ſuccum ſenſibilem, ſed remanet in alembici fundo ſub eâdem mole, poroſa toto fermè corpore, ac pondere multo levior. Unde hoc? niſi quòd humoribus eductis aër in relictas cavitates fuerit illapſus; ſique pondus viperæ multùm in eo ſtatu ſuperet partium ejus ſolidarum dum fuit in ovo pondus, hoc tribuendum illi mortuo capiti humorum, quod poſt diſtillationem cum minimâ ſalis aliorumque principiorum copiâ in vipera remanſit.

Quamtumvis exiguiſſimum fuerit in Ovo corpus humánum, non tamen minùs id putandum eſt immani vaſorum & vaſculorum numero inſtructum eſſe. Immanis ille vaſorum & vaſculorum numerus ſatis arguitur ex vulnerum & fracturarum adglutinatione. Non aliter reparatur ſubſtantia deperdita, quàm quòd vaſorum ramuſculi, ob partis ſolutionem minùs quàm antea compreſſi, humores illabentes majori copiâ recipiant; & ideò dilatentur, liberiùſque ad partem ſolutam protendantur, donec locum vacuatum repleverint, & coaluerint promota partis ſolutæ

labia. Imò nec ſatis firmus erit ille coalitus, niſi adacti utrimque fuerint intra contigua labia protenſi vaſorum ramuſculi, quibus partes utrimque connectantur. Non ſemel expertum eſt in lithotomiâ ſectis adglutinata nuper vulneris labia fuiſſe ad mediocrem corporis niſum diſſoluta, nunquam verò longo poſt adglutinationem ſpatio. Et quotidie adglutinata à manè ad ſero ſectæ venæ labia ſolâ diductione diſſolvuntur: non ſatis ergo eſt ad contactum perveniſſe vulneris labia, ut hæc ſibi firmiter adhæreant; oportet inſuper ramuſculos vaſorum utrimque protenſos ſeſé altiùs in utraque labia immiſiſſe donec à proximis æquè ac cæteri comprimantur, idque abſque novâ cum aliis vaſis oſculatione.

Recisa in vulnere vaſcula deplentur, concidunt, coaleſcunt, obliterantur, aut uruntur medicamentis congruentibus, aut in pus abeunt. Sic humores liberiùs in laterales ductus illabuntur, eoſque protendunt. Idem obtingit in oſſium fracturis; modò partes oſſis vivant, ſibi fuerint invicem adductæ, in debito ſitu contineantur, & quieſcant, hæ ſenſim emittunt vaſcula, quibus callus efficitur. Callus ab initio caro quædam nova eſt ex emiſſis ejuſmodi vaſculis conflata perinde ac in vulneribus, quæ ſenſim in os induratur; elapſâ nempe ſenſim adipe in fibrarum oſſearum interſtitia, quæ ipſa faceſcit tandem in oſſis medullam: Cùm verò in aperto eſt os & pars ejus ablata, ut fit per Trepanum, tunc novæ videntur exoriri carnes ex ſingulis cranii interſecti punctis,

nec ſolùm ex punctis interioribus ut fiat callus, ſed & ex ſingulis partium exteriorum punctis ut fiat caro quæ callum integat.

RECIDUNTUR rami arborum minùs vegeti, ut ſuccus in vegetiores fibras, poſt eam exciſionem minùs compreſſas, derivetur. Sic arbor novis & fructuoſioribus ramis adoleſcit. Sic in ipsâ ſenectâ novi dentes interdum pullulant & ſemper in pueritiâ, delapſis nempe veteribus vel lacteis qui novis obicis inſtar obſtabant. Identidem reſecantur capilli & ungues, herbaque viridis, ut emittant liberiùs fibras ſuas vaſculoſas; & hinc nova brevi tempore coma luxuriat, ungues increſcunt, agri fiunt lætiores. Niſi verò reciderentur ac reſecarentur, mox ea conſequerentur incrementi ſui terminum, ſcilicet ob nimiam fibrarum rigiditatem & compreſſionem. Idem de ſingulis partibus ſolidis cæſis & quovis modo ſolutis eſto judicium.

ERGO ſolidæ humani corporis partes ſolâ Vaſorum extenſione nutriuntur & creſcunt.